

851.

1251 d. 24 Sept.

Skanör.

Kon. ABELS i Danmark Förordning om Tullens erläggande vid Skanörs marknad.

L. 10: 970. *)

ABEL, Dei gratia Danorum Sclauorumque Rex, Dux Jutie, omnibus
hoc scriptum cernentibus salutem in perpetuum. Tempus est mensura motus
rerum mutabilium, idcirco discrete decreuit antiquitas, vt ea, que geruntur
sub tempore, ne simul labantur cum tempore, literarum testimonio recipi-
rent firmamentum. Ad reuocandas igitur contentiones, lites et discordias,
nec non etiam perjuria super solutione thelonei in nundinis Scanore, que
aliquando fiebant ab iis, qui Vindlandsfare dicuntur, que quidem sepius
minime committi possunt sine discrimine et periculo non modico animarum,
taliter inter nos et eosdem, accedente nostro et eorum consensu, delibera-
tione sufficienti adhibita, satis prouide in perpetuum est statutum, quod
de quolibet Coggone, qui ad partes occidentales de Scanore redierit, tri-
ginta duo solidi bonorum sterlingorum persoluantur: Si vero ad orientales
partes declinare aliquis de supradictis noluerit, et super hoc ex parte no-
stra requisitus juramentum prestiterit corporale, quod illic sit tertius, duo
solidi de qualibet testa monete Scaniensis recipientur ratione telonei ab eo-
dem. Si vero aliquis fraudem in premissis fecerit, et super hoc repertus et
conuictus fuerit, bona ipsius ad vsus nostros deuoluentur vniuersa; qui si
ad regnum nostrum redire noluerit, et nostrum nuncium ad terram aut ciui-
tatem, in qua habitat, miserimus pro justitia ab ipso obtainenda, nuncio no-
stro cum omnibus bonis suis exponi debet a suis conciuibus. Hoc enim pre-
fati Vindlandsfar firmiter promiserunt, qui presentes impetrarunt. Si vero
conciues ipsius negligentes in hoc extiterint, nec curauerint nobis a prefato
justitiam extorquere, toti terre seu ciuitati, in qua habitat, debet merito
imputari. Quicumque etiam ad prefatas nundinas de dictis Vindlandsfar cum
naui sua et suis deuenerit mercaturis, et inde ad Norwegiam transire volue-
rit, nec secum halec, sed pannum lineum et sal seu etiam victualia sua de-
tulerit, a telonei grauamine sit immunis; ita tamen quod Camerarius noster
vel aliis ex parte nostra vel ipsius naues ipsorum et eorundem contenta
copiam habeat perserutandi. Ceterum cum sepius progenitorum nostrorum
temporibus passis naufragium violentia inferebatur et injuria, statuimus, vt
quicumque naufragium perpessi fuerint, bona vniuersa libere habeant, que
saluare et eripere possunt propriis laboribus et expensis, nec exactor noster
seu aliquis alter se de bonis eorundem sic ereptis aliquatenus intromittat.

*) Efter en afskrift utur Sleswig-Holsteinska Cansli-Archivet.

Quicumque vero contra tenorem hujus priuilegii excesserit, non solum di-reptionem bonorum suorum sentiet, verum etiam nostram non effugiet ul-tionem. Vt igitur premissa rata sint et firma, presentem paginam sigilli no-stri munimine duximus roborandum. Datum Scanore Anno Domini M^oCC^oLI^o Calend. Octobris octauo. Presentibus Dominis subscriptis, dilecto consanguineo nostro Comite Ernesto, et fidelibus nostris, Tukone Camerario nostro, Nicolao nostro Prefecto Lundensi, Martino Porthagell, et multis aliis clericis et laicis ecclesie nostre.

852.

1255—1261 d. 9 Jan.

Påfv. ALEXANDER IV:s Bref till Konung och Jarl i Sverige att visa Ärke-Biskopen vördnad och att återställa Ström, Fornsgötuna och Guazbro.

A. 1. a. 26.

ALEXANDER episcopus seruus seruorum Dej. karissimo in christo filio .K. illustri Regi Suetie & dilecto filio nobilj viro .B. comiti. Salutem & apo-stolicam benedictionem. Quanto dono diuinj muneris maiorem habetis in terris potentiam. tanto eum cuius nutu diuitiis & nobilitate polletis. since-rius debetis diligere. & feruentius amplectj. que sue cognoscitis beneplacita uoluntati. Vnde quia deo gratum & acceptum existit. cum uirj ecclesiasticj a regibus & principibus honorantur. & in deuotione & reuerentia habentur. excellentiam uestram rogamus. exhortamur in domino & in remissionem uobis peccatorum iniungimus. quatinus Venerabilem fratrem nostrum Vp-sellensem archiepiscopum. episcopos & reliquum clerum regnj uestri diuinj amoris intuitu & pro reuerentia beati Petrj & nostra. nec non etiam uestre salutis obtentu. diligatis & honoretis. & ej reuerentiam & deuotjonem exhibatis. & ita studeatis ipsos protegere & fouere & a malignantium incursi-bus custodire. quod ex hoc ab omnipotentj domino premium indeficiens pos-sitis recipere. & gratias a nobis multimodas expectare. Nichilominus etiam magnitudinem uestram rogamus solliciteque monemus. ut Vpsellensi ecclesie tamqnam matrj uestre & predicto archiepiscopo sicut spiritualj patrj promptum honorem & reuerentiam impendatis. & ita ej prouidere curetis. quod clericos & seruientes possit habere. prout sue dignitati noscitur expedire. Preterea tres uillas uidelicet Strom. fornesitune & Guazbro eidem archie-piscopo & ecclesie sue restituatis & pacifice dimittatis. sicut sedes episco-palis eas consueuit habere. antequam esset ad alium locum translata. Dat. Anagnie V. Jdus Januarij.

Bullan bortfallen.

853.